



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

§. 3. Quot modis peccetur in hoc Ecclesiæ præceptum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

prescribit: si tamen vigilia alicujus jejunium incideret in diem Dominicam, anticipari deberet precedenti sabbato, ut habetur cap. *Ex parte*, de observatione jejuniorum, & ex communi Ecclesie usu satis constat.

Singulis quoque hebdomadibus diebus veneris & sabbati à carnibus abstinendum est, & ut constat ex communi Ecclesie praxi, & habetur ex c. *Quia dies*, dist. 5. de consecr. & ex cap. ult. de observ. jeju. ubi tamen excipitur si festum Natalis Domini in feriam 6. incidat: in illo enim casu *illis; qui nec voto, nec regulari observantia obstricti sunt* (ut loquitur Innocentius III.) propter excellentiam carnibus vesci possunt secundum consuetudinem Ecclesie generalis; nec tamen reprehendi debent, qui ob devotionem voluerint abstinere. In aliquibus etiam Gallie nostrae partibus concessus est esus carniū diebus Sabbathi à Christi Domini natali usque ad Purificationem.

Servatur etiam abstinencia à carnibus in festo S. Marci, & in tribus rogationum: quod quidem jam olim in Romana Ecclesia usitatum fuisse testatur ordo Romanus cap. de Litanis; minore.

## III.

*Quot modis peccetur in hoc Ecclesie preceptum.*

**P**ECCANT in primis, qui absque justa causa aut legitima dispensatione in diebus ab Ecclesia prescriptis non jejunant, aut jejunium inchoatum solvunt: qui abstinenciam violant, carnibusque aut, aliis cibis vetitis vescuntur; cum hac tamen differentia, quod quoties quis edit cibos vetitos, toties peccet mortaliter qui verò per secundam refectorem jejunium violavit, non amplius peccet, saltem mortaliter, si postea pluries comedat, ut ex communi Theologorum consensu docet Laymannus, supra cap. 2.

Peccant quoque mortaliter, qui in die jejunii crebrius comedunt aliquid, licet in exigua quantitate; quamvis enim

(ut

ut dicit Less. sup. dub. 2. ) semel vel iterum paucas buccelles extra refectiois tempus comedere non sit nisi peccatū veniale, si tamen id crebrius fiat, puta septies vel octies, censetur esse mortale; quia crebra illa comestuncula æquivalent notabili refectioi.

Peccant etiam qui in cænula seu collatiuncula vespertina notabiliter excedunt ultra quam ieiunii ratio exigit, prout à piis & timoratis servari solet.

Peccant qui alios ad ieiunium violandum inducunt persuasionibus, irrisionibus, aut alio quovis modo: item caupones qui cœnam seu alteram refectioem apponunt iis, quos probè sciunt ad ieiunium obligari; quod quidem intelligendum est (ut monet Less. dub. 4.) quando absque gravi aliquo tuo incommodo illis negare possunt; & etiam quando nullum inde scandalum secuturum vident aliàs si timeatur ne iis, quibus cœna negatur, gravius Deum offendant, blasphemias & convitia proferendo, aut aliquid simile faciendo, poterit illis apponi: qua ratione dicit Lessus interdum excusari patres aut matres familias cœnam famulis & domesticis in die ieiunii permittentes, ne, si denegetur, gravius Deum offendant: aliàs si nihil simile timeatur, permittere non debent, ne peccatis eorum cooperentur.

Ad hoc præceptum quoque reduci potest peccatum eorum, qui temperantiæ, & sobrietatis in cibo & potu limites transgrediuntur, etiam in aliis diebus in quibus, nulla est ieiunandi obligatio: qui se cibis ingurgitant, unde notabile damnum in sanitate percipiunt; qui ex nimio potu inebriantur, seipfosque usum rationis per ebrietatem privant; qui alios ad largius bibendum inducunt, unde securam prævident ebrietatem: quod quidem ebrietatis peccatum eò gravius est, si ex illo alia peccata secutura prævideantur, puta blasphemiarum, immunditiarum, & similia.